



Freiherr v. Ende-Miljessnitz.

XXXVII.

DISSERTATIO HISTORICA
DE
**CIMBRIS ET TEV-
TONIS.**

PRIMIS ROMANORVM EX GER-
MANIA HOSTIBVS,

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IUVVENTVTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBVRGICI HEREDE,
CETERA,

DIRIGENTE

CHRISTOPHORO CELLARIO,
HISTORIAR. PROFESS. P.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

A. D. XVI DECEMB. cl^o l^occⁱ

EXPONIT

FRIDERICVS ANDREAS PETERSEN,
GLVCKSBVRGENSIS HOLSATVS.

HALLAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.

XXXIII

DISSERTATIO HISTORICA
 DE
 CIMBRIS ET TEV-
 TONIS
 PRIMIS ROMANORVM EX GER-
 MANIA HOSTIBVS
 IN REGIA FRIDERICIANA,
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
 FRIDERICI WILHELMO,
 REGNI BORVSSICI ET EFFICIORAVS
 BRANDENBVRGICI HEREDI,
 CETERA,
 DIRIGENTE
 CHRISTOPHORO CELLARIO,
 HISTORICAE PROFESSORIS
 PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
 A DIE XVI DECEMBRIS MDCCCLXXII
 FRIDERICO ANDREA PETERSEN
 GLAUCHVIGENSIS PRAEFATO
 Typis Christoph. Andree Cellarii, aed.





I.

Vitio humana non naturæ, sed negligentia fit, ut externa semper in laude; domestica in fastidio sint. Ad quæ enim noscenda mortales iter ingrediuntur, maria transmittunt, ea sub oculis posita & in solo patrio reperienda posthabent plerique. Citius sic inueneris qui de India, de Perside & Scytharum vasta regione magnifice verba faciant, quam qui patriam suam, & quo innati solo sunt, didicerint explicare. A quo peruerso more, quantum fieri potest, ut nos & nostros reuocemus, patriæque nostræ, cui spiritum debemus & vitæ alimenta, rationem potius, quam exterarum regionum habeamus; visum est nobis *antiquitates historie Germanicæ* excutere, & exercitationibus nonnullis explorare, ut cognoscamus, quæ vita maiorum, qui mores fuerint, quas sedes incoluerint, per quos viros, quibusque artibus libertatem & imperium tutati sint, & qua occasione tandem a barbarie ad cultiorem vitam moresque magis compositos transducti, veterem gloriam non perdidierint, sed ampliorem augustioremque effecerint, atque etiam conferuarint.

II. Utinam vero in ipsa patria inueniamus, quibus uti argumentis atque testimoniis possimus, ut ab iis, qui hostes Germanorum fuere, illa petere necesse non habeamus: sed, proh dolor! ea fuit maiorum nostrorum ruditas atque barbaries,

A 2

baries, vt omnem doctrinæ cultum respuerent, & quidquid ad rerum gestarum memoriam gloriamque seruandam aliquid confert, in vniuersum ignorarent, præter incondita quædam carmina, quibus festis diebus, & in conuiujs, maiorum suorum res bello gestas celebrare adfecti fuerant; quæ vero, quod nullis litteris posteritati fuerunt tradita, diuturnitatis memoriam haud potuerunt cõseruare. Quidquid ergo de statu veteris Germaniæ habemus, Romanorum debetur industria, quamquam nec illorum monumenta, quæ de Germanis condiderunt, ad nostram atatem & memoriam omnia perueniunt, siquidem, quod dolendum est, Plinius maior seu auunculus, vt sororis filius lib. III epist. v prodit, quum in Germania militaret, somnio monitus, quasi a manibus Drusi Neronis, qui late victor ibi perierat, *Bellorum Germaniæ viginti libros* composuerat, de quibus, quæ temporum est iniuria, nec vola neque vestigium superstat. Pauca sunt quæ a Græcis habemus, neque hi fere aliunde quam ab Romanis acceperant: neque Romani aliunde quam ex bellis, cum ea gente gestis, habuerunt. Pugnatum autem plerumque fuit, in limite aut etiam extra fines Germaniæ in alieno solo; raro in interiore Germanorum terra, quam pauci Romanorum ingressi sunt, nec vquam omnem peruaserunt, sed contenti barbaros remouisse, ad suum reuerterunt limitem.

III. Primum *Germanorum* nomen, & vna virtus siue ferocia, Romanis bello Cimbrico & Teutonico innotuit, quum antea securi de illis intra Oceanum populis, trans Alpes & ultra Rhenum constitutis, essent, & forte pauca, eaque incertiora de iis fando percepissent. Tum vero, quum aliquot illorum nationes irruptionem in Italiam tentarent, experti vsu sunt & repugnatione, qui Germani essent, & quam validi atque feroces, vtpote a quibus se suamque Italiam ægre atque difficillimis pugnis tuerentur. Quum ergo *Cimbrici* & *focii*, primi ex Germanis fuerint, quos Romani exercitus

tus

tus adspexerunt, illorumque audaciâ & robore mire sunt fatigati; de Cimbris *historiam Germanorum veterem* inchoare res ipsa & ordo temporum postulat, de quibus in præsentia, quæ inueniri potuerunt, proferemus.

IV. Plures gentes erant, quæ societate facta vno tempore Italiam petebant, sedem in illa sibi occupaturæ; sed in his princeps & præcipua erat gens *Cimbrorum*, a qua totum illud bellum, a variis nationibus aduersus Romanos gestum, *Cimbricum* fuit appellatum. Cimbri qui fuerint & vnde uenerint, ignotum tum temporis Romanis erat. Germanicam gentem, saltem Celticam esse, postquam congressi sunt, ex corporis habitu & proceritate deprehenderunt; qua uero in parte Germaniæ sedem habuerint, omnino ignorabatur: nisi quod remotissimos Germanorum esse, & Oceani forsitan æccolas, ex signis quibusdam coniiçiēbant: quidam etiam ex Sarmatia, seu Europæa Scythia, inde a Mæoti palude aduenisse crediderunt, vel quod patriam ibi habuerint, vel ex Germania eodem profectos: de qua re plura post, quum de illorum itinere disseremus, proferetur. Plutarchus varie hæc disputauit in Vita Marii pag. 411, ibidemque in illorum nomen eiusque etymon inquirat. Primum ait, Κίμβροι ἑπινομάζουσι Γέρμανοι τὰς ληΐδας, *Cimbros Germani uocant latrones*, quasi commune nomen & appellatiuum sit, quod Teutonice lingua latronem sonet. Plutarchus uidetur ex Strabone hausisse, qui lib. VII pag. 203 de Posidonio, uetere historico, dicit, ἔκαστος ἐικάζειν, ὅτι ληΐσμοὶ ὄντες ἡ πλάνητες οἱ Κίμβροι, *non male coniecisse, prædones Cimbro & uagabundam gentem esse*, quales utique censeri potuerunt, postquam patriam reliquerant, nouas quæsitura vi & armis sedes. An uero ea vis & notio ipsius sit uocabuli, ut Plutarchus credidit, nec uero a Posidonio, neque a Strabone dictum fuit; non sine causa dubitamus, immo negamus strenue. Quis enim tunc Romanis dixit, latrones Germanis appellari *Cimbros*, quum ipsa

Germanorum gens illis adhuc incognita, multo magis lingua esset? quæ etiam sententia est Philippi Claverii, clarissimi viri, lib. III German. antiq. cap. XXI. Nam quod necesse in cunctis migrationibus fuit, ut quæ vaga gens transiret, prædando se sustentaret; id non sufficit ad probandum, nomen gentis *pradones* proprie significare. Ut ergo aliæ gentes Germanorum proprias appellationes habuerunt, quarum originem inuestigare non possumus: ita etiam Cimbrorum nomen censemus proprium fuisse, non commune aut appellativum.

V. Deinde Plutarchus a *Cimmeriis* alios id nomen deducere proponit, qui Asiæ supra Pontum populi fuerunt, quæ etiam Posidonii opinio fuit apud Strabonem, sed fallax utique & inutilis, ut quæ præter litterarum convenientiam quamdam nihil quidquam probabilitatis habet. Tolerabilius est, quando idem Plutarchus dicit, gentes illas, e quibus Cimbri fuerunt, κοινή Κελτοσκύθας, communiter *Celto-scythas* dictos fuisse. Celta enim omnino fuerunt, ut omnes Germani, licet Gallis id nomen præcipue adhæserit: non autem proprie fuerunt Scythæ, licet propiores illis habitauerint, Oceano tamen interiecto. Nam ideo Scythas appellari, quod a Bosphoro Cimmerio aduenissent, ut diximus, est fabulosum.

VI. De sede Cimbrorum, quam initio ignorabant, post bellum certiores facti Romani sunt, esse magnam peninsulam ab ostiis Albis in septentrionem longe procurrentem. Strabo, χερσόνησον οὐκᾶντες, *peninsulam inhabitant*, quæ inde a Ptolemæo lib. II cap. XI Κιμβρική Χερσόνησος, *Cimbrica Chersonesus* appellatur. Tacitus de Germania cap. XXXVII *Cimbros sinum Oceani tenere* dicit. Strabo videtur quidem a sinistra Albis ripa locare, siue inter Rhenum & Albim: verum sibi non constat, quia ibi nulla peninsula est, quæ tam numerosam gentem accipiat: Ptolemæus autem peninsulam illam
fatis

fatis accurate, quantum peregrinis tum temporis nosse licuit, descriptam nobis reliquit.

VII. Antequam vero ad migrationem Cimbrorum perlustrandam adgrediamur, de sociis illorum, ex Germania adsumtis, aliquid adnotandum est. *Teutoni* hi a Cicerone pro Lege Manilia cap. xx, Cæsare lib. I B, Gall. cap. xxxiii, & xl, & lib. II cap. IV ac alibi: Floro lib. III cap. III, Epitoma Liuii LXVII vocantur, qui Plutarcho & Ptolemæo sunt *Τεύτορες*, & Eutropio *Teutones* lib. V cap. I. Sociorum ceteri in Gallia vel Helvetia adsumti ad Germaniam nihil pertinent, infra in hoc ipso Cimbrorum bello explicandi. Qui ergo *Teutoni* olim dicti fuerint, in præsentia disquirendum est. Ptolemæus in Germania circa Chalusum fluuium, qui nunc Traua vocatur & in Codanum sinum effunditur, *Teutonos* proxime ab ortu ante Sueuos constituit. Pomponius Mela videtur latius per insulas Oceani siue Codani sinus dispergere lib. III cap. III. *Super Albim*, inquit, *Codanus ingens sinus magnis parvisque insulis refertus est. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec vsquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus, ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur - - - . In eo sunt Cimbri & Teutoni: ultra, ultimi Germania Hermiones.* Subobscurè dictum: quia Cimbri in peninsula, vt supra probatum: Hermiones in continenti videntur fuisse. Vbi ergo Teutoni, si non in paruis magnisque Codani, de quibus tam sollicitè agit, insulis? Firmat hæsitantes ipse mox cap. VI. *In illo sinu*, inquit, *quem Codanum diximus, sex [sunt insulæ], ex iis Scandinavia, quam adhuc Teutoni tenent, vt magnitudinè alias, ita fecunditate antestat.* Sic Vossius legit & Gronouius: alii Codanonia, vt etiam Cluuerius, qui lib. III Germania: cap. XL, de primaria Dania, Seelandia, interpretatur: priores vltra fretum in Scandiam, australem Suedorum partem, remouent, quæ præcis etiam fuit insula credita. Quoquo modo

modo illud nomen sese habet (nam variant libri) exinde non incertum est, *Teutonos* Codani sinus insulas, quæ a Cimbrica Cheroneso vsque ad Scandiam sunt, quas nunc Danicas appellamus, & forte etiam in continente Germania partem circa Chalufum amnem eiusque ostia, quæ subiecta illis insulis sunt, incoluisse. Hinc est quod passim cum Cimbris, tamquam finitimi, apud prædictos auctores coniungantur. Neque vocabulum illorum tum temporis omnes Germanos significabat, sed tantum aliquos ex septentrionalibus, quia Germania tum temporis per sinum illum & ultra in transmarinas regiones extendebatur. Sero factum, ut *Teutonorum* nomen toti Germania imponeretur, quemadmodum a Galis nomen *Alemannorum*.

VIII. Duos hic populos habemus, qui egressi ex patria novas sedes quaesierint, Teutonos atque Cimbros. Quæ causa migrationis fuerit, nunc dispiciendum est. Strabo lib. VII post initium dicit, nonnullos tradere Cimbros *μεγάλη πλημμυρίδι ἐξελθεῖν ἐκ τῶν τόπων*, magna inundatione coactos migrasse ex terra sua, quam *χερρόνησον*, peninsulam ibidem vocat. Ipse vero negat id esse sibi probabile. Quamquam enim in maritimis oris nonnumquam fiunt eiusmodi exundationes maris, partem terræ submergentes; non tamen tantæ sunt, ut propterea integra natio necesse habeat aufugere, neque si facta est inundatio tempestate oborta, talis illa perpetuo manet, sed recurrit in mare aqua, terra siccatur, & contra noua pericula aggeribus molibusque munitur. Ipsa magna peninsula ad hunc vsque diem habitata multitudine populorum quos tenet, abunde probat, fictam falsamque fuisse illam ex inundatione migrandi causam atque rationem.

IX. Verior causa fuit, quæ omnium populorum septentrionalium, in cultiores regiones, præsertim medio æuo, descendentium, ut Scytharum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Langobardorum, Auarum, Bulgarorum & ipsorum

rum, quos scriptores illius ætatis *regius, ædōs, fæ, & urcos, orientales* vocant. Quod enim septemtrio ex cæli inclinatione minus ferax frugum esset quam regiones aliæ; & barbari homines nescirent terræ colendæ rationem; crescente hominum multitudine in illas terras proficisci parabant, quarum eximiam fertilitatem fama præcognouerant. Egregie id Corn. Tacitus lib. *iv* Hist. cap. *Lxxi* vj oratione Cerialis, qua etiam Cimbrorum Teutonorumque mentionem fecerat, manifestauit. *Eadem, inquit, semper causa Germanis transiendendam Gallias; libido atque auaritia, & mutandæ sedis amor, ut relictis paludibus & solitudinibus suis, secundissimum hoc solum vosque ipsos (Treuiros Lingonesque) possiderent.*

iv *X* Inuenta causa, quæ sine dubio vera fuit; quamquam minus iusta, sed cum instituto veteres colonos expellendi, quæ summa iniuria est, coniuncta; ad iter describendum, quod ingressi sunt, ut in Italiam pervenirent, Cimbri Teutonique, nunc adgrediemur, quod vero difficilius ad inuestigandum est, dum pauca sunt quæ historiæ de illo tradant. Quod enim ingens multitudo erat & duo diuersi populi seu nationes; vno agmine vix ire potuerunt, sed diuisis copiis, ut commeatus facilius esset, diuersis itineribus ad Italiam videntur contendisse. Prima fama aduentantis barbaræ & ignotæ gentis Romanos terruit circiter annum *idcxl* Metello & Carbone consulibus. Tacitus satis probatus testis nobis est de Moribus Germanorum cap. *xxxvii*. *Sexcentissimum, inquit, & quadragesimum annum vrbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cecilio Metello ac Papirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consilium computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tandiu Germania vincitur. Diuisis populis Cimbri eam viam secuti dicuntur, ut in Illyricum deuenirent, inde transcensuri in Italiam. Iter vagæ gentis quale fuerit, definiri non potest, quia incertum, rectane via an per ambages ad Illyrios*

B fines

fines progressi fuerint. Mediam certe Germaniam qua circa Albim & Danubium est, oportet transiisse antequam in Noricum venirent indeque ad fines Illyriorum, per quos quousque processerint, æque dubium est atque incertum. Id tamen probabilius videtur, ad interiora Illyridis non pervenisse, quia Italiã, non Dalmatiam montes, constituerant occupare, nec in Illyrica, sed Carnorum regione prope Illyricos fines primam pugnam cum Romanis commiserunt, ut ex Liuvio & Strabone mox probaturi sumus. Quantus terror tum Romanos ex sola fama & nuncio inuasit, Eutropius prodit ineunte lib. v, tantus videlicet, quantus vix Hannibalis tempore Punici belli fuerat.

XI. Contra hos missus est Papirius Carbo consul, ut a transitu in Italiam prohiberet, qui vero infeliciter cum illis congressu primo depugnauit. *Liuii Epitoma LXIII, Cimbr̄i, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est.* Si ille Liuii liber superesset integer, plura & de gentis immanitate, & de itinere atque excursionibus intelligeremus: sed summario, quæ temporum iniuria est, adquiescere debemus, ex quo tamen hoc cognoscimus, vagando populandoque venisse ad extremas hæc Illyrici atque Italiae regiones. Cladem Romanorum, ibidem a Cimbris acceptam, memorant etiam alii. Velleius lib. II cap. XII, *effusa immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonibus erat, quum Capionem Manliumque Coss., & ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque, cetera.* Carbonis itaque clades prima fuit Romanis hoc bello Cimbrico inlatarum. Plutarchus etiam in Vita Marii pag. 414, *ἢ τὰ Κάβρων ἀντὶν Φοβῆν ἢ Καπιῶν, ἃς ἐνίκησαν οἱ πολεμιοί; an vero Carbonis casus & Capionis terrent ab hostibus oppressorum?* Certa ergo clades ipsa: certus annus, quia consul victus est, testante Liuvio: locus pugnae nunc certior etiam definiendus. Paterculus dixit in Gallis: sed de pluribus,

ribus, quos coniungit, intellige, Capione, Manlio, Silano; non etiam de Carbone: nisi Gallis etiam Cisalpinam vna intelligas, ad quam illi populi, qui post Venetos erant sub Carnicis Alpihus, quodammodo etiam referebantur. Strabo lib. v pag. 148 omnem dubitationem eripit. *Noreiam* urbem vocat, ad quam Carbo a Cimbris superatus fuit. Hanc dicit mille ducentis stadiis ab Aquileia abesse, positam ad flumen nauigabile, quod Tilautentum est, vt adeo *Noreia* in Carnorum Tauriscorumque confinio non ignoretur. *Nauigatur*, inquit, *aduerso flumine eis Νορῆϊαν πόλιν, περὶ ἢ Κνῆϊ Κάρτων, συμβαλλῶν Κίμωροις, ἔθεν ἔπραξεν, in Noreiam urbem, circa quam Cn. Carbo, cum Cimbris committens, male rem gessit.*

XII. A tempore quo Papirius Carbo in Carnis victus a Cimbris est; quid Cimbri anno insequente & proximo egerint, non omnino est compertum. Quamuis enim victores essent, non ausi tamen Italiam ante innadere, quam cum sociis, qui alia via profecti fuerant, sese coniunxissent. Haud dubie ergo per superiores partes ex Illyrico & Carnis ita circueierunt Italiam, vt supra Alpes circa Heluetios & Allobroges in lucem Gallia sese proferrent, quod vel ex pacto vel famæ nuncio habuerant, ibi vel aduenisse Teutonon vel proxime expectari. Interea vagati sunt per Gallias, & tandem in Hispaniam irruerunt, dum, & illa vastata prouincia, a Celtiberis repulsi sunt in Gallias. quamquam nec tum certum satis sit, an etiam, & quando cum Teutonon se coniunxerint. De his ergo, & illorum itinere, quo in Galliam profecti sunt, nunc etiam est differendum.

XIII. *Teutonon* ex patria sua vel eodem tempore, quo Cimbri vel alio post anno profecti, Rhenum versus iter instituerunt, quo necesse fuit per tractum illos, qui inter Albim & Rhenum est, atque ita per maiorem Germaniæ partem esse vagatos. Superiorem Rhenum an inferiorem traiecerint, non quidem manifesto est prodicium: pronius autem ad fi-

dem, inferiorem amnem transmisisse, quia mox in Eburoni-
bus & Atuaticis apparuerunt. Cæsar lib. II B. Gall. cap. XXIIX
*Atuatici ex Cimbris Teutonisque prognati, qui, quum iter in pro-
vinciam nostram atque Italiam facerent, his impedimentis, quæ
secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum de-
positis, custodis ex suis ac presidio sex millia hominum una reli-
querunt.* Hi post eorum obitum multos annos a finitimis
exagitati, quum alias bellum inferrent, alias inlatum defende-
rent; consensu eorum omnium pace facta hunc sibi domici-
lio locum delegerunt. Eadem Dio Cassius lib. XXXIX sub
initium: *Αργατικοὶ δὲ τὸ γένος, τὸ τε φρόνημα τὸ τῶν Κίμβρων
ἔχοντες, Ατνατικοὶ δὲ γένεσι δὲ ἰngenίῳ Κίμβροι ἐρῶσι.* Et Appia-
nus Alexandrinus de Bellis Gallicis extremo, *ἦσαν τῶν Κίμβρων
δὲ Τευτόνων ἐπίγονοι, ἐρῶσι* [quos Cæsar e Neruis & Atuaticis
vincebat] *Cimbrorum Teutonorumque posterii.* Teutonos au-
tem Rhenum traiecit, diserte Velleius dixit lib. II cap. VIII.
*Tum Cimbrī, inquit, δὲ Τευτόνοι ἠρῶσι τὸν Ῥῆνον, πολλοὶ
μὲν ἡμῶν τοῖς ἰσχυροῦσι κλιμακίαισιν ἐπιβήσαντες.* Coniungunt hi auctores
Cimbros cum Teutonis, vel a nobiliore post gente sociatos
barbaros nominantes, quamvis sine Cimbris essent: vel quod
pars Cimbrorum cum Teutonis profecti sunt, maiore illorum
parte in Carnos antea & Illyricum digressa. Rheno traiecto
inferiore non quidem potuerunt per Belgas non transire in
provinciam Romanam, quamquam Remorum legati eodem
lib. II cap. IV Cæsari narrant, *solos Belgas esse, qui patrum me-
moriam omni Gallia vexata Teutonos Cimbrasque intra fines suos
ingredi prohibuerint.* Nam vix de omnibus hoc potest intel-
ligi, sed de iis forsan, qui longius ab Rheno remoti etiam su-
periore sunt, ad quem videntur inclinasse quum transitum ad
Heluetios sibi pararent, cum iisque foedere coniungeren-ur.
*Ambrones & Tigurinos, quod omnes annales dicunt, in socie-
tatem adseruerunt, quod probabilis est a Teutonibus per-
actum fuisse, priusquam Cimbrī ex Illyrico & Carnis in Gal-
liam*

liam circa Heluetios erupissent. His enim vel in Hispania morantibus, vel in alios Galliarum populos forte profectis, Teutoni & Ambrones in proeliis aduersus Marium nullos præterea socios dicuntur habuisse, vt infra de proeliis pluribus tradetur.

XIV. Longe lareque tum Gallia fuit vastata, præter Belgicam, quæ restitit Cimbrorum sociorumque vexationibus, vt supra ex Casaris lib. I I Gall. cap. I V ostendimus, Belgas intra fines suos prohibuisse Cimbro ingredi, quod non de primò transitu Teutonorum intelligas, sed de aliquot annis posteriori excursione per Gallias, cui soli Belgæ dicuntur restitisse. Quod autem fatum fuerit ceterarum Galliæ partium, Critognatus apud Casarem lib. VII cap. LXXVII ostendit. *Quid ergo, inquit, mei consilii est? facere quod nostri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonorumque fecerunt, qui in oppida compulsi ac simili inopia subacti, eorum corporibus, qui etate inutiles ad bellum videbantur, vitam tolerauerunt, neque se hostibus transdiderunt.*

XV. Vastationibus hisce videntur aliquot anni absumti esse, quia inter Carbonis cladem, qui consul fuerat quadragesimo post sexcentimum vrbis annum, vsque ad consulatum M. Silani, id est quadragesimum quartum annum, nihil occurrit in historia a Cimbris Teutonisque contra Romanos susceptum. Silano autem consule insigni clade rursus Romani adfecti sunt. Tum enim per legatos Cimbri Teutonique agerunt ab Romanis petere cœperunt, quem quum hi non possent dare, neque æquum esset suum relinquere & aduenæ concedere multitudini, aut alios finitimos adigere ad emigrandum, vt externi peregrinique locum inuenirent: ferro sibi eum parare barbari constituerunt. Florus lib. I I I cap. I I I, *misere legatos in castra Silani, inde ad senatum, petentes, vt Martius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium: ceterum, vt vellet, manibus atque armis suis vteretur. Sed quas daret terras*

terras populus Romanus, agrariis legibus intra se dimicaturus? Repulsi gigitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituerunt. Hinc initium cladum Romanarum in Gallia, de quibus idem Florus pergit dicto loco narrare: Sed ne primum quidem impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Nondum omnes sunt: plures enumeravit Marianus miles quidam, apud Quintilianum Declam. III conquestus: strage nostrorum campi latent. iam fugatorum Carbonis atque Silani sub comparatione felix militia est. iacet post amissum Scaurus exercitum. Servulii Manliique bina cum tot legionibus castra perdidimus. Neque hic numerus sufficiens est: Lucius quoque Cassius est addendus, a Tigurinis cæsus, ut omnino sex, plerosque consulares exercitus perdidissent Romani, antequam duce Mario vincerent, & tandem Cimbro Teutonisque funderent atque delerent. Ex quo satis de robore & impetu Germanarum gentium, quæ tot exercitus Romanorum prostrauerunt, constare potest.

XVI. De singulis eo ordine agemus, quem Livi-
 bus diuersis libris signauit, ut exinde de annis etiam iudicare
 possimus. Postquam enim Epitoma eius LXIII de Carbonis
 clade actum fuerat, Epitoma LXV de Silano ita est traditum:
*M. Iunius Silanus consul aduersum Cimbro infeliciter pugnavit.
 Legatis Cimbrorum, sedem & agros, in quibus considerent, postu-
 lantibus, senatus negavit. Silani huius victi præter antea dic-
 tos auctores meminit etiam Velleius Paterculus lib. II cap.
 XII: Carbonem Silanumque fuisse fugasseque [Cimbro ac
 Teuton] in Galliis. Sed omnium clarissime nobis totam
 causam reliquit descriptam Asconius Pedianus sub finem
 commentarii in Ciceronis pro C. Cornelio. M. Silanus, in-
 quit, quinquennio ante consul fuerat, quam Domitius tribunus
 plebis: atque ipse quoque aduersus Cimbro rem male gesserat.
 Quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat. Crimi-
 nabatur, bellum cum Cimbris iniussu populi gessisse, idque princi-
 pium*

pium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque dedit: sed plenissime Silanus absolutus est. Miramur ergo, quid Eutropio in mentem venerit, quum lib. xv. extremo scripsit: a M. Iunio Silano, collega Q. Metelli, Cimbrum in Gallia victi sunt. Lapsus memoria est bonus cetera historiarum breuiator. nam infeliciter, Silanus, Liuius teste, pugnavit; aut, Pediano, male rem gesserat.

XVII. Hæc prima in Gallia clades, post illam in Carnis Papirianam: secunda quæ fuerit, sententiarum diuersitate disceptatur. Liuius eadem Epitoma Lxv cum Silani infelicitate coniunxit interitum L. Cassii: tum demum Epitoma Lxvii Scaurum scribit a Cimbris victum captumque. Et Tacitus de Germ. cap. xxxvii hoc ordine clades illas disposuit: Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Serulio Capione, M. Manlio fufis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano abstulerunt: vt ita Cassii interitus cladem Scauri videatur præceslisse. Contra Carolus Sigonius, in Fastis consulares, Cassii casum biennio postponit, ipsis factis persuasus, quibus, vt Cassiodorus edidit, hic ordo consulatum obseruatur:

Quintus Metellus & M. Silanus,
Ser. Galba & M. Scaurus,
L. Cassius & C. Marius.

Si itaque Silanus consularum gessit quadragesimo quarto anno, interque eum & Cassium intercedit Scaurus; utique Scauri in Gallia imperium consulare prius fuit quam L. Cassii. In eo videtur cardo verti controuersia, vtrum M. Aurelius Scaurus, quum casus a Cimbris est, fuerit eiusdem anni consul, quod dixit Paterculus dicto loco, Scaurum Aurelium consulem, & alios celeberrimi nominis viros [Cimbri] trucidarunt. At Liuius Epitoma Lxvii M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est. Negat hic consulem eo anno fuisse: tantum legatum dicit consulis: quod, si recte facti

se

se habent, ultra L. Casii consulatum proferendum est, quod nobis etiam videtur probabilius, Liviō cum Tacito consentiente. Casii autem illius calamitas proxime infecuta cladem Silani, non a Cimbris Teutonisque, sed horum sociis Tigurinīs fuit inlata. Cæsar lib. I Gall. cap. XII *Is pagus appellabatur Tigurinus. nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. Hic pagus unus quum domo exisset, patrum nostrorum memoria L. Casium consulem interfecerat, & eius exercitum sub iugum misit.* Epitoma Livii LXV L. Casius consul a Tigurinīs Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites, qui ex ea clade supervenerunt, obsidibus datis & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. Memorat etiam Paulus Orosius lib. v cap. xv. *Iisdem, inquit, Ingurbini belli temporibus L. Casius consul in Gallia Tigurinos usque ad Oceanum persecutus, rursumque ab iisdem insidiis circumventus, occisus est.* Fuisse autem hunc Casium cum C. Mario consulem, quamvis Fasti Siculi dissentiant, adfirmat tamen Plinius lib. x cap. XIII.

XVIII. Si Livium sequimur, post Casianam cladem Scaurus legatus consulis male rem gesit & cum exercitu periiit. Sigonius, ut prædiximus, dissentit, eo falsus, quod Scaurum in consulatu periisse persuasum habet, inductus forsan a Velleio in illam opinionem, qui itidem Scaurum consulem dixit, qui tantum consularis fuit & legatus consulis. Infelicem eius pugnam omnes scribunt, Tacitus, Quintilianus, Livius, Velleius, & hic quidem *trucidatum* narrat; Quintilianus declinatione III, *tacere post amissum exercitum*; Livii Epitoma LXVII plenius: *M. Aurelius Scaurus legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est: & quum in consilium ab iis evocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse; a Bolo rege, feroci iuvene, occisus est.* Plura de ipso non habemus, nisi quod consul fuerat

fuerat anno proximo ante Casium & Marium, quibus, si bene se fasti habent, successit Seruilius Cæpio cum Attilio Serano, sub quibus videtur Aurelius Scæurus, legatus alterius consulis, vt Linius loquitur, infeliciter cum hostibus pugnasse.

XIX. Quamuis enim vulgo credant, Cæpionem consulem fufum ab hostibus fuisse: tamen id pugnat cum Liuio in Epitoma iam dicta, vbi proconsulem vocat; & cum Dione Casio in Excerptis Valefianis pag. 631, vbi dicitur consuli Manlio siue Mallio *ἀναρχῶν, imperio par, τῶ δὲ ἀξιώματι, οἷα ὑπάρχει ἀντὶ ἀντὶ ἡλαττῆτος, titulis tamen & dignitate illo, νεποτὲ consule, minor erat.* Proinde Cæpionis calamitatem in annum post consulatum eius, quo Caius Manlius & Rutilus Rufus consules erant, id est quadragesimum octauum a sexcentesimo vrbis, reiiicimus. Fuit autem ille annus propterea infelix, quod bina castra & duo exercitus, alter consulis Manlii, alter proconsulis Seruili Cæpionis victi & prostrati sunt. Quintilianus dicto loco: *Seruili Manliique bina cum tot legionibus castra perdidimus.* Breviator Lii ex lib. I. XVII, ab iisdem hostibus *Caius Manlius consul & Quintus Seruilius Cæpio proconsul victi prælio, castris quoque binis exuti sunt.* Notamus ergo in prædicto Velleii loco vt minus curate dictum, Cimbro ac Teutonon Cæpionem Manliumque *consules* fudisse fugasseque: quippe iam intelleximus non consulem eo anno Cæpionem fuisse, sed pro consule.

XX. Videtur coniuncta vtriusque clades fuisse, sed ita, vt culpa penes Cæpionem esset. Inuidia enim aduersus consulem, ne ille sibi laudem victoriae præriperet, omnia fertur conturbasse, vt solus cum hoste confingeret. Iussus autem cum consule castra coniungere, primum recusauit, deinde coniunxit, quia metuebat ne solus consul hostem profigaret, quam gloriam illi inuidebat: & vt sibi primas laudes pararet impediturque consulem, coniunxit quidem castra cum eo, sed ita, vt media essent inter consulis castra & hostium.

Hæc Dionis Excerpta, ad quæ antea prouocabamus, tradunt, ex quibus intelligitur, ipsum sibi Seruilium fuisse causam infelicitatis. Vterque autem victus fuit, & hostes redditi eorum clade ferocios. Præter Liuium id etiam Sallustius memorauit extremo Iugarthino. *Per idem tempus*, inquit, *aduorsum Gallos ab ducibus nostris Quinto Capione & M. Manlio male pugnatum.* Gallos vocat, quia in Gallia commissa pugna, etiam cum Gallis, Cimbrorum sociis, quia Cimbris & Teutonibus tres Galliarum populi ex Helueticis adiuncti erant, *Ambrones, Tigurini, Tugeni.* Etsi enim historici tantum duas gentes nominarunt; tamen non dubitamus, quin cum Strabone, Posidonium secuto, lib. VII post initium, *Tugenos* adnumeremus, qui forte ceteros multitudine non æquauerunt, ideoque ab historicis & fama publica prætermissi sunt. Orosius lib. V cap. XVI de hac re ita scripsit: *Manlius consul & Quintus Capioproconsul aduersus Cimbro & Teutonas & Tigurinos & Ambrones, Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc, vt imperium Romanum exstinguerent, conspirauerant, missi, prouincias sibi Rhodano fluuio medio diuiserunt. Vbi dum inter se grauissime inuidia & contentione disceptant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi sunt: siquidem - - - octoginta millia Romanorum sociorumque eadem tempestate trucidata, Antias scribit.* Loquitur de primis castris Rhodano diuisis, antequam coniungerentur. Tanto autem ex strage illa damno adfecti Romani sunt, vt diem illius pugnae inter nefastos, æque vt Aliensem, quod Plutarchus in Lucullo pag. 190 notauit, referrent. Florus, nescimus quo auctore, distinguit clades, Manliumque prius victum esse, quam Capionem, narrat. *Nec primum*, inquit, *impetum barbararum Silanus, nec secundam Manlius, nec tertium Capioproconsul sustinere potuerunt.* Sed quod Diodorus dixit castra coniunxisse, probabile est vno tempore fuisse profligatos: quod vero in causa cladis Seruilius Capioproconsul, vt ex dictis apparuit, fuerat (quibus alia violata religionis suspicio

cio accessit) idcirco male acceptus a ciuibus fuit, quum Romanam reuertisset. Valerius Maximus lib. I. v. cap. V. II. exemplo 3, *Tribunus plebis Cæpionem in carcerem coniectum, quod illius culpa exercitus noster a Cimbris & Teutonibus uidebatur deletus, veteris aræque amicitia memor publica custodia liberauit: nec eatenus amicum egisse contentus, etiam fugæ eius comes accessit.* At oblitus fuit Valerius lib. VI. cap. IX. exemplo 13, *in publicis vinculis spiritum deposuisse Cæpionem, corpusque carnicis manibus laceratum, memorauit.* Durius hoc, quam pro Romana mansuetudine, ideoque prius sequendum magis est, præsertim quod & Lilius lib. LXVII. de pœna Cæpionis hæc tantum in epitoma reliquit: *secundum populi Romani iussione, Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium; imperiumque ei abrogatum.* De violata religione quod diximus supra, ita se habet, ut Orosius lib. V. cap. XV. refert, Cæpionem capta Tolosatam urbe magnam vim auri & argenti ex templo Apollinis sustulisse, quasi ad publicum aut sacrum alibi usum seruaturus esset: clam autem custodibus interfectis, sibi per scelus rapuisse. Vnde etiam quæstio Romæ de ipso acta fuerit.

XXI. Quum itaque in summo timore Romani essent, ne Galli Germanique in Italiam penetrarent, & tot ducibus cæsis, tot amissis exercitiis, non haberent cui hæc prouincia decerneretur; ad C. Marium, recentem Iugurthæ regis victorem spes omnis fuit conuersa. Florus dicto loco: *Actum erat, nisi Marius illi seculo contigisset. Velleius Paterculus: populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, est ratus. Tum multiplicati consulatus eius.* Sed tum absens in Africa erat, ex qua quum reuertit, triumphauit de Iugurtha, & ad Cimbrorum bellum sociorumque animum adplicuit. Quod quum protraheretur, nec Cimbri Teutonique, victis Manlio & Cæpione, admodum

modum properarent in Italiam transire ; quæstio noua in disceptationem venit, quo anno Cimbri in Hispaniam recesserint. Sunt qui ante hoc tempus discessionem illam factam putent, propterea quia ab Lucio Cassio cum solis Tigrinis in Allobrogum regione decertatum sit. Verum dubitatur, an id sufficiat ad comprobandum, quia tot nationes in vno hæere loco non poterant, neque comæatus eis sufficisset : sed ut diuersis ducibus parebant, nunc huc nunc illuc vagabantur, & prædas agebant, vnde vitam tolerarent : quo fieri utique potuit, ut in solos Tigrinos consul Cassius incidere. Quod si ergo Liuium eiusque ordinem sequemur, discessus Cimbrorum in Hispaniam Mario iterum consule factus fuit. Postquam enim triumphum Marianum descripserat, addit tandem : *Cimbri vastatis omnibus, que inter Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt : reuersique in Galliam bellicosos se Teutonibus coniunxerunt.* Id quod non ita intelligendum est, quasi eodem anno, quo ingressi, reuertissent Cimbri ex Hispania, sed haud dubie ibidem etiam tempus vastandis tot locis consumserunt, ut aliis consulibus inuasisset Hispaniam, aliis reliquisset eandem statuendum sit. Secundus itaque & tertius consulatus Marii apparatus fuit extractus, nec prius, quam quarto consulatu eiusdem Marii, quo Q. Catulum collegam habebat, prælio pugnatum fuit cum hostibus.

XXII. Non metu, ut hostes interpretabantur, sed summa prudentia, & vere imperatoria, dilata pugna fuit a Mario, ut metus Romano militi eximeretur. Quum enim aliquoties male pugnatum fuit, & hostibus audacia creuit ex fortuna ; non consultum est deuotio periculis tremefactos milites exponere : ut Q. Fabius cunctator fecit, cuius hæc callidissima ars vincendi fuit, *differre pugnam seu nolle pugnare.* Idem hoc bello prudentissime fecit Marius. Erat enim con-
tra

tra atrocioſiorem hoſtem, quam in Africa fuerat, miles exercendo præparandus. Itaque Marius aut in caſtris continuit milites, aut in opere exercitauit, vt & labore fortiores fierent, & mora quotidiani conſpectus hoſtium (nam propinqua caſtra erant) adſueſcerent illorum toruitatem ferre, nec ſibi ab illa amplius timere. Prouocarunt ſæpius Romani ad certamen; ſemper recuſauit conſul Marius, meliorem exſpectans rei gerendæ occaſionem. Pertæſi moram Cimbri circumeundo Alpes alio loco in Italiam per Noricos irrumperere quæſiuerunt, quibus alter conſul Q. Catulus cum exercitu oppoſitus fuit; Teutoni vero & Ambrones, qui iuxta Marium reliſti erant, tandem præter Romana caſtra tranſibant Alpes verſus, quaſi tranſituri in Italiam, & per ludibrium rogabant, an aliquid ad parentes vellent Romani aut vxores; ſe proxime cum illis fore. Illo vero tranſitu, qui per aliquot dies extractus eſt propter multitudinem, Romanus miles magis magisque didicit barbarorum faciem, horribilem antea, contemnere. Transmiſiſ omnibus Marius quoque caſtra mouit ab Iſaræ & Rhodani confluente, ſi Oroſius recte designauit, & hoſtes ad Aquas Sextias adſecutus eſt, caſtraque illorum caſtris oppoſuit: & quia milites labore exercitatos habebat (nam *fossam Marianam*, nauigationibus, præſertim Maſſilienſium, perutilem, interea effecerant, quam Mela lib. 11 cap. v, & Plinius lib. 111 cap. 1v deſcripserunt) quum, inquam, ſic milites exercitatos paratosque haberet, non dubitauit ille, vbi prima occaſio tulerit, ſigna in hoſtes conferre & acie dimicare.

XXIII. Ad victorias nunc Romanorum, poſt tantas clades acceptas, accedimus perluſtrandas. Scilicet ita ordo rerum caeleſti prouidentia conſtitutus eſt, vt damna, quæ admonent nos humanæ fragilitatis, meliorum ſubinde interuentu repenſentur. Et vt fortuna numquam ſimpliciter indulget, ſed aduerſos euentus interponit: ſic nec mala noſtra ita ſunt perpetua, vt non tandem lætioribus rebus ac ſucceſſibus permuententur. Tempus erat Romanam rempublicam, quæ

Deo semper curæ fuit, post diuturna mala recreari, id est post annum decimum aut ferme vndecimum a clade prima Papirio Carboni ad fines Illyricos inlata. Quarto enim demum consulari Marii, id est anno sæculi quinquagesimo primo post sexcentesimo vrbis, spes melior salutis & victoriæ adfuit. Adsecutus erat hostes Marius ad Aquas Sextias, nouam tum coloniam Romanam, nunc quoque ciuitatem non incelebrem. Digressis Cimbris & Tigurinibus, cum Teutonibus res erat & Ambronibus. Cimbri autem, vt Plutarchus in Mario refert pag. 414, ἔλαχον διὰ Νορικών ἀνωθεν ἐπὶ Κάτλον χωρεῖν, καὶ τὴν παραδοὺν ἐκείνην εἰσάξασθαι, sortiti erant per Noricos superne aduersus Catulum proficisci, atque aditum illum [in Italiam] percurrere. De quo mox in Catuli rebus plura referentur. Prima pugna fuit cum Ambronibus, qui & ipsi pagus Heluetiorum erant, supra xxx millia armatorum sub signis habentes, vt Plutarchus in Mario pag. 416 prodidit. Hi separata castra a Teutonibus habebant, iisque profligatis nox incubuit, qua nullam victor victis quietem permittit, sed semper a paucis clamore excitato, quasi inuasuri essent territores, maceravit eos vigilia, vt postero die ad pugnandum essent debiliores. Sic enim Iulius Frontinus lib. 11 stratagematum cap. 19 obseruauit: victor Marius, victis prælio Ambronibus, reliquias eorum & Teutonibus, quia nox circumuenerat, circumsedens, sublatis subinde clamoribus per paucos suorum territauit, insomnemque hostem detinuit; ex eo consecutus, vt postero die irrequietum facilius debellaret. Nec minus enim die altero fusi & prostrati sunt Teutoni, eorumque duces & rex Teutobochus, vt Florus vocat, capti, vt nihil hostium Romanis iam in Gallia superesset. O fidem hominum! quanta strages fuit edita. Florus poetica, vt solet, vsus hyperbole, tanto ardore dicit pugnatum esse, eamque cadem fuisse hostium, vt videtur Romanus de cruento flumine, non plus aque biberit, quam sanguinis barbarorum. Plutarchus ait, Massilienses postmodum τοῖς ὁσίοις περιθριγῶσαι τὰς ἀμπέλωνας, castrorum officibus vineas circumsepisse. Liuius Epitoma LXIX tradit caesa hostium ducenta

ducenta millia, capta nonaginta. Cui incredibilior videtur numerus, minuat paullisper cum Paterculo dicente: *amplius centum quinquaginta millibus hostium priore ac postero die a Mario trucidatos, gentemque excisam Teutonorum.*

XXIV. Non par felicitas initio fuit penes Catulum, neque is valuit Cimbris resistere in Alpibus, quo minus illi perrumperent, penetrarentque in subalpinam Italiam. Quod enim iterum Plutarchus pag. 418 notauit, Catulus Cimbrorum imperum sustinere non valens, nec territum militem retinere quin fugeret, coactus est retro recedere eo vsque, vt *Αριστονα, Αθεςιν*, (non Tosam) eis, post Padum flumen maximum, obii- ceret, *Φραξάμεν* προς τας διαβάσεις εναντίας εν χυδός χαρά- κωμασι, positus verimque aduersus transitum vallis & aggeribus. Verum neque hanc stationem, quin Cimbri transirent, tueri Catulus potuit. Is nuncius & urbem nouo terrore impleuit, & castris quoque Marii ex victoria gaudium interuertit. Raptim ergo Marius in auxilium collega copiis per Alpes trans- missis, opportuno aduenit tempore, quum hostes late vastata Transpadana, denuo agrum & sibi ac fociis ab Romanis postulauerunt. Cimbri enim Teutonos expectabant, nescii, ad internecionem caesos deletosque esse, nec crediderunt prius, quam Marius captiuos duces & regem illis ostentaret. Sic desperatis rebus iam non pro sede occupanda, sed pro vita & salute in campo Raudio, qui ad Vercellas est, vt ex Plutarcho obseruamus, acerrime dimicauerunt: victi tamen & caesi plu- rimi, pars quoque non exigua capti, & Catulo quoque eiusque copiis post fugam virtus in praecordia reuertit, fortiusque ex illa parte & praeclearius pugnatum in hostes est, quam a victore exercitu Marii. Eutropius dicto loco: *Iterum a C. Mario & Q. Catulo contra Cimbro dimicatum est, sed a Catuli parte felicius. nam praelio, quod simul ambo gesserunt, CXL millia, aut in pugna, aut in fuga, caesa sunt; LX millia capta. Romani milites ex utroque exercitu trecenti perierunt. Tria & triginta Cimbris signa sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportauit: Catuli*

tuli exercitus triginta & unum. Florus itidem: in patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere, millia inde ad sexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. - - Boiorix rex in acie dimicans, impigre nec inultus occubuit. Addit ducis astum, quam artem Cannarum vocat & Hannibalis imitamentum, elegisse nebulosum diem, ut hostem falleret; & ventosum, ut puluis in oculos & ora eius ferretur. Nec minus ille, qui Liuium excerptit, præclare eandem rem nobis tradidit. Cimbri, inquit, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad fluiuium Athesin castellum editum insederat reliqueratque, quum virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam traicissent; iunctis eiusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab iis, in quo caesa traduntur hostium CXL millia, capta sexaginta.

XXV. Pugnatum est III Calendas Sextiles, feruentissima ætate, ut vel anni tempus, præsertim intra Italiam, Cimbris populis, frigoribus adsuetis, per se fuerit incommodum. Feminis quoque Cimbrorum non defuit quod virtutis speciem referret, saltem indolem aliquam barbarica maiorem generosioreque ostenderet. Victis, cæsis maribus, dedere se, nisi honesta conditione, noluerunt, ipsæ ex castris plaustrisque libertatem telis contisque propugnantes. Et quum libertatis ac sacerdotii conditionem (hanc a victore postulauerant) non impetrassent, mori, quam seruire, maluerunt, elisique infantibus suis, laqueo, etiam ex crinibus, si alius non supereretur, facto, vitam sibi eripuerunt. Florus sæpe dicto loco hoc spectaculum descripsit, quod satis quidem atrocitatis habet, profectæ tamen ex indole Germanorum gentis pæne propria, ut libertatem omnibus rebus anteferrent, illamque tuerentur fortissime. Et quid miramur hæc in mulieribus, vitæ, fortunæ per omnia sociis maritorum? ipsæ bestia, ex Germania adducta, per consuetudinem didicerant quod Romani milites admirarentur. Plinius enim lib. IIX cap. XLI canes ait,

Cim-

Cimbris caesis, domus eorum plaustris impositas defendisse, vt nec viris feminisque extinctis facilis præda hostibus ad occupandum esset.

XXVI. Sic Teutoni, Ambrones, Cimbrici caesi omnes erant: superabant soli Tigurini, qui cum Cimbris ex Gallia in Noricum profecti, illis in Italiam irrupentibus, has partes sibi sumserant, vt subsidio Germanis essent, illosque transitus & ipsum Noricum ad incertos belli euentus pro Cimbris custodirent. Nec dubium custodiuisse aliquamdiu: clade autem Cimbrica audita, aut antea etiam, cognito hostium apparatu, diffugerunt omnes, vt vndique ab Alpibus nihil haberet Italia, quod posthac sibi a barbaris gentibus, quæ conspirauerant in Romanos, extinctis & dilapsis omnibus, timeret. Florus prædicto loco: *tertia Tigurinorum manus, quæ quasi subsidio Noricos infederat Alpium tumulos, in diuersa lapsa, fuga ignobili & latrociniiis euauit.*

XXVII. Quinto Marii consularu hæc gesta sunt in Subalpina Italia, tum *Gallia Cisalpina* vocitata: & nullum genus laudum erat, quod non certatim in Marium congereretur. Quamuis enim Lutatius Catulus ex postrema illa victoria plus sibi, quam Marius, vindicare poterat: tamen Mario, vt Plutarchus ait pag. 421, *περὸ ἐπιπέτο σὺμπαρ τὸ ἔργον, eorum illud præclare factum imputabatur*, quia & ipse consul erat; Catulus tantum pro consule: & nisi a Mario adiutus seruatusque fuisset Catulus, Cimbrorum imperum, cui in Alpibus accesserat, haud credebatur sustentaturus diutius fuisse: ad hæc Marius superiore anno in Gallia solus Teutonos atque Ambrones, sine Catuli auxilio, gloriosa victoria deleuerat. Hinc sextus consulatus, *veluti premium meritorum*, vt Velleius ait, C. Mario est datus, quamquam, quod Plutarchus adnotauit, ambitione multa illum, inuito optimo quoque Romanorum, parauerat. Hinc gratulationes, & tituli, ac tropæa, quæ postea Sulla deiecit, Caius Cæsar restituit, vt Suetonius in Vita tradit

cap.

cap. xi: illique soli triumphum voluit senatus decernere, quem ipse vero cum Catulo, ne milites offenderet, communicauit. Omnibus hisce honoribus, utcumque amplissimis, maior illa laus erat, & omnium oribus sonabat, quam Cicero, cuius eius, erebro repetebat, & æternis scriptis suis inseruit. In Catilinam I V cap. x, *Sit, inquit, in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione & metu seruitutis liberauit.* BIS, hoc est quarto & quinto consulatu, in Gallia Transalpina & Transpadana Italia, hostes barbaros, Italiam occupaturos, cædendo. Ideo Orat. III in Catilinam cap. x Marium vocat *custodem huius urbis*, eandem ob liberationem ab incursione Germanicarum gentium. Id quod repetitur ad Quirites post reditum cap. I V, ubi itidem C. Marium vocat *custodem libertatis atque imperii Romani.* Bene tum actum cum Mario fuisset, si sexto illo consulatu, aut breui post, vita excessisset, antequam civile bellum concitaret, quod omnem gloriam eius spurcissime fœdauit. Sed in ipso quoque contigit, quod T. Liuius lib. IX cap. XVII obseruauit, nihil magis felicitati heroum atque gloriae obstare quam longæuitatem, quia vel fortunæ inconstantia fiat, vel morum ex successu rerum in deterius immutatione, ut si diutius uiuant summam adepti gloriam, insigni quadam calamitate adficiantur, quam Marius quidem superauit, crudelitatis autem ignominiam, ex ambitione contractam, euadere & superare non potuit.

XXVIII. Auxit honorem C. Marii dignitas operum, quæ ex manubiis dedicauit, adem scilicet Honori & Virtuti, ut ante Marcellus fecerat Punico secundo bello Syracusis expugnatis. Testatur vetus inscriptio, quæ omnes consulatus Marii, & quid in vnoquoque gesserit, enarrat, etiam dedicationem sacræ ædis adiungit, quæ exscripta a Sigonio & Grutero est; a nobis, in quantum nostrum institutum postulat, excerpta:

C. MA-

C. MARIUS C. F. - - - - III CONSUL AB
SENS CREATUS EST. IIII CONSUL TEUTO
NORVM EXERCITVM DELEVIT. V CONSUL
CIMBROS FVGAVIT. EX IEIS ET TEUTO
NEIS ITERVM TRIVMPHAVIT - - - - DE
MANV BIEIS CIMBRICIS ET TEVTONICEIS
AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT.

Coniuncta hæc numina sua Romani voluerunt vel vno templo, vel con-
iunctis proxime, vt vnum videatur, quia honor virtutis comes est, ne-
que separari ab illa potest. Videtur autem renouasse ædem Marcelli
Marius, non nouum condidisse. Pompeius Festus lib. xvii in voce
SYMMISSIOR: *Summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Ma-
rius fecit, ne, si forte officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri
cogerent.*

XXIX. Tandem de reliquiis Cimbrorum aliquid etiam dicen-
dum est. Neque enim existimandum, periisse omnem gentem tanta
clade, quamuis forsitan nulli aut pauci admodum ex acie in patriam re-
fugerunt. Sex millia illa Cimbrorum, quæ vt Cæsar refert lib. ii B.
Gall. cap. xxiix, in Atuaticis, primo in Galliam ingressu, relicta fuerant,
in immensum postea excreuerunt. Sed esto illos Teutonos potius,
quam Cimbro, fuisse, qui alia videntur via profecti, in Belgica sedem
vix figere potuerunt: tamen nec Cimbrorum nomen & populus inte-
riit. Non enim credibile est, ad vnum omnes domo profectos fuisse,
vt nouas sedes occuparent: sed qui numero abundabant, aut spem
fortunæ melioris, cum periculis & difficultate coniunctam, præsentibus
rebus anteponi maluerunt; hi videntur egressi esse ex patria, re-
lictis, si non pluribus, tamen vtrique multis, quibus, vt poeta ait, salinum
paternum faris mensa tenui splendebat. Nam post has clades & Cæ-
sarum temporibus Cimbro in antiquis sedibus, seu magna illa ab Albis
ostio peninsula fuisse, & nomen priscum conseruasse, graves & probatæ
fidei testes literarum monumentis tradiderunt. Strabo lib. vii pag.
202. *De Cimbris, inquit, quedam inepte dicuntur, quedam probabilitate
rem habent non mediocrem. Non enim hæc de causa eos, vt incertis
vagarentur sedibus, & latrociniis vitam quaerent, compulsos esse cre-
diderim, quia e peninsula, quam inhabitauerant, diluuium fuerint eieci:*

ἡ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν ἔχον πρότερον, nam hodieque illam regionem inhabitant; quam tenuerant olim: nuperque Augusto leberem, qui apud ipsos sanctissimus erat, dono miserunt, amicitiam expetentes, & veniam inlatarum iniuriarum; eamque consecuti, domum reuerterunt.

Non equidem negamus damnum ingens Romano bello accepisse, nec postea per aliquot sæcula facile superandum. Quæ omnino causa est, cur Tacitus Traiani ævo de Cimbris cap. xxxvii Germ. scripserit: eundem Germania sinum proxime Oceano Cimbrici tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens. Ptolemæus etiam, qui post Tacitum sub Marco Antonino, vt Suidas refert, floruit, in intima Cherfoneso, quam Cimbricam vocat, Cimbroz populos locauit, tamquam præcipuos, (nam & alios adiungit) vt ab illis solis peninsula denominetur. Claudianus, sub Honorio augusto non ignobilis poeta, Cimbrorum aliquoties, tamquam sua ætate existentium, mentionem fecit. De v consulatu Honorii versu 450

———— latisque paludibus exit
Cimber, & ingentes Albin liquere Cherusci.



Idem mare, quod inter Rhenum est & Albim, eodem libro, versu 335 Cimbricum vocat Oceanum,

———— te Cimbrica Thetys, inquit,
Diuisum binio consumit, Rhene, meatu.

Postea, quum Germani in tres magnas gentes diuiderentur, Francos, Saxones & Alamannos, Cimbrorum clarum nomen a nouo Saxonum (nam & hos Ptolemæus ad isthmum Cherfonesi Cimbricæ posuerat) tunc latius se profereute, ex vulgari vsu videtur sublatum esse, non autem ex memoria annalium, qua perpetuo vigeret, quod primi fuerunt, qui Germanicis gentibus ad famam & gloriam aditum aperirent.

XXX. Forma reipublicæ Cimbrorum haud dubie fuit eadem quæ ceterorum in Germania, de quibus Tacitus cap. xi tradit, habuisse quidem reges atque principes, sed magna populi restrictos libertate, vt pote qui auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate valuerint. Tales fuere Boiorix Cimbrorum, quod nomen etiam Epitomæ Lxvi i

pro Bolo reddidit Gronouius; & Teutobochus, vt Florus, sive, vt Eutropius & Orofius legunt, Teutobodus Teutonorum.



01 A 6590

ULB Halle 3
003 090 37X




Stk. 21 Folkt
Stk. 22 Hschr. - nicht
erfasst

V. 5. 12

Reho ✓







XXXVII.

DISSERTATIO HISTORICA
DE
**CIMBRIS ET TEV-
TONIS,**

PRIMIS ROMANORVM EX GER-
MANIA HOSTIBVS,

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVENTVTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBVRGICI HEREDE,
CETERA,

DIRIGENTE

CHRISTOPHORO CELLARIO,
HISTORIAR. PROFESS. P.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

A. D. XVI DECEMB. clo lcccI

EXPONIT

FRIDERICVS ANDREAS PETERSEN,
GLVCKSBVRGENSIS HOLSATVS.

HALLAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.